

IVLII CLEMENTIS

S C O T I

EX COMITIBVS PLACENTINIS

Illustrissimi Philosophi, Theologi &c.

*De Obligatione Regularis extra Regularem Domum
Commorantis ob iustum Metum.*

De Iure tuendi Famam.

De Apostatis, ac Fugitiuis.

OPVSCVLA TRIA:

IN QVIBVS IVXTA PRINCIPIA THEOLOGICÆ
tum Scholasticæ, tum Positiuæ;

SACRORVMQVE CANONVM,
ac Philosophiæ Moralis

Plurime solvuntur Quæstiones;

OPPORTVNA TVM ECCLESIASTICIS, TVM LAICIS;

*Versantibusque in Foro Interiori, ac Exteriori,
Ecclesiastico, & Saculari;*

LIVII VICECOMITIS PARMENSIS

Opera Typis Vulgata.

*Cum Indice Generali Opusculorum, ac eiusdem Auctoris
Libri de Potestate Pontificia in Societatem Iesu.*

C O L O N I A E

Apud Philippum Duglassium sub Signo Montis Stelliferi.

M DC XXXVII.

Superiorum Permissu, ac Priuilegio.

EMINENTISSIMORVM PRINCIPVM

Sacrae Congregationi Negocijs Episcoporum,
ac Regularium Præpositæ
Luius Vicecomes F. P.

NOT A est Vobis, Eminentissimi Principes, Horum Opusculorum Auctoris Causa. Perspectum est compluribus e vestro Apostolico Senatu, quam vehementer nonnulli apud vestrum aliquos contra Auctorem egerint. Exploratum habet Romana Curia, quæ voces ab iisdem Auctoris famæ detrabentes emanarint. Ad illam tuendam coactus fuit Perillustis D. Franciscus Solanguis, anno elapso librum euulgare de Potest. Pontif. in Soc. Iesu, adeoque illius recessus causam manifestare. Vbi hic prodijt, fuit vnus ex illis, sub occulto tamen habitu, qui Venetijs publico in loco (o quam audeat) Venetijs (consulò repeto) publico in loco librum illum appellauit hæreticum. Vulgatum postea, librum fuisse Romæ prohibitum, tanquam non Catholico, vel non pro homine dignum, ac subinde, illius Impressorem, imò & Auctorem ipsum Venetijs in carcerem coniectum. Habentur litteræ de his ad Auctorem, aliosque conscriptæ. Cum satis id non fuisset, iubetur quidam inter ipsos in scientijs valde conspicuus (a quo tamen libri cuiusdam editi lectio non multis ab hinc annis a Sac. Congreg. Indiciis interdicta fuit) Responsum afferre libro. Ille more consueto Auctorem Hæretico comparat, ferme nulla ex propositis in Auctoris libro capita soluens; more enimvero hæreticorum, qui vbi in Disputationibus, Colloquijsque cum Catholicis se superatos, vel se superari vident, in conuiciosa erumpunt verba. Hæreticorum commune vitium est Romani Pontificis auctoritati semper detrabere. Auctor illam potiùs in eo libro amplificare studet: Hæretici Romane Sedi infensos se exhibent semper, Auctor in illam summa beneuolentia semper argumenta profert. Vtinam nunquam illi se Romani Pontificis, Sedisque Apostolicæ subiectioni subtrahant. Ad hoc evitandum periculum sedulo inuigilandum, vt illi Pontificijs Legibus, ac Eminentissimorum Principum Decretis exactam præstent obedientiam. Habentur publicæ litteræ, quæ ex Romana Vrbe in singulas hebdomadas mittuntur, in quibus asseritur apertissimè, in Libro qui conscriptus fuerat pro responsione ad Lib. de Potest. Pontif. nihil ferme contineri, nisi Detractiones contra Auctorem: Quasi ipse apud eos Religiosos non vitam semper traduxerit valde piam, testibus muneribus, quæ in ea Religione obiuit, & quæ dum recessit, obibat; testibus litteris propria manu exaratis a Supremo ipsorum Præsidente defuncto; alijsque Primarijs Patribus; Quæ, si opus fuerit, publico deponentur in loco. Vbi Auctor Venetias concessit, omnes de illius quoque pijsimis moribus testes esse queunt: Qui cum illo agunt, non nisi virtutum do-

OPUSCULUM

DE HIS AD QUÆ TENERETUR

Regularis, etiam Professus, qui in sua Religione, siue in Domo Regulari sub obedientia Prælati sui Regularis permanere non posset ob metum cadentem in constantem Virum &c.

Regularis potest habere peculiare causas iusti metus, quas non habent Laici Homines.

P. Pono. **N**ON solum illa, quæ communiter recensentur à Doctoribus, tanquam per se Iusti, ac Probabilis metus causatiua, posse etiam illum inferre Regulari, quinon minus est homo, quam cæteri; verum etiam posse quædam recenseri peculiariter talem metum inferentia Regularibus hominibus; sunt enim apud Regulares peculiare poenæ, quatum incurrendarum timor, peculiare dignitates, ac peculiaria officia, quorum amittendorum timor iustum possunt incutere Regulari Viri metum: Imò cum vnaquæq; Religio certas habeat poenas, quibus deterret suos à nonnullis criminibus, certa que præmia, quibus eos ad virtutem allicit, certasque dignitates, certa que officia, ad quæ suos promouet; contingere potest, vt hic metus cadat in Religiosum huius Ordinis, & non alterius. Quis certè negauerit ad hunc metum non sufficere timorem Vocis Actiue, & Passiue Priuationis apud Regulares; timorem amissionis Cathedre Philosophicæ, vel Theologicæ apud Religiones, maxime Mendicantes, quæ ex professo Studijs vacant, & ex quibus haberi solet aditus ad Prælaturas, aliosque gradus in Religione, qui secum commoda multa importare consueuerunt; timorem amittendi, vel longius premore differendi Professionem maxime Quatuor Votorum in Societate Iesu? Hinc iudicio prudentis, & maxime periti Viri opus est ad decernendum hic, & nunc hoc esse graue, vel non graue malum, à quo in Regulari oriri queat talis metus.

O P V S C V L V M

DE IVRE TVENDI FAMAM

Quod habet quicumque, etiam Ecclesiasticus, & Regularis.

Fama praefertur Diuitijs.

I. Pono. **I**Nter Humana bona ex cōmuni Philosophorum, ac Theologorum sententia Infimum locum obtinere Opes, Medium Famam, Summum Vitam: Opes enim tantummodo sunt Bonum externum, & indifferens, quibus tam bene, quam male uti possumus; Fama verò est magis homini intrinseca, cum in eius bonis intrinsecis maximè, ac præcipuè in virtute fundetur: præterea eò magis bonum aliquod homines beare dicendum est, quò diuturnius: Atqui Diuitiæ cum homine ipso depereunt, & ad alios transferuntur: Fama verò post mortem ipsam perennat, imò ipsa nominis celebritas obeunte homine vires recipit; eòq; maior, ac dignior habetur, quò certius est ipsam post mortem nullam dedecoris nota denigrari, aut infici posse. Hinc celeberrimum *Isocratis ad Nicoclem* estatum. *Magis expetendam ducito, ut liberis tuis honestam Famam, quam opes magnas relinquant; nam hæc mortales sunt, illa immortalis; pecunia acquiri possunt, fama pecunijs emi non potest; opes etiam improbis contingunt; gloriam vero parare non possunt, nisi virtute præstantissimi.* Legantur in verba *Prouerb. c. 21. MELIUS EST NOMEN BONUM, QUAM DIUITIÆ.* *MVLTAE* Cornel. à Lapid. & *Ferdin. Salaz.* celebres e Societate Iesu Sacræ Scripturæ interpretes, vbi peculiariter *Salaz.* animaduertit, cum vulgata Editio dicat, *MELIUS EST*, aperte innuere hoc diuitijs præferendum esse, ut quoties alterius discrimen necesse est subire, diuitiarum omnium iacturam potius, quam boni nominis vel leuem notam incurrere oporteat; & cū *Originalis*, & *septuag.* Lectio habeat, *ELIGIBILIS EST*, non obscure insinuati aliquem finè, ad quem consequendū præstabilius est bonum nomen, quam opes; hic autem non est alius, quam honestas virtutis: nam cū ob alias causas bonum nomen opibus anteferri debeat, vel ex eo maximè, quod diuitiæ vitijs plerumque inservire solent, at bonum nomen Virtutis, & honestatis non comes solum, sed etiam satelles, defensor, ac vindex est. Legatur idem etiam *Cornel.* cum alijs interpretibus in illud *Eccl. 41. CURAM HABE DE BONO NOMINE; MAGIS ENIM PERMANEBIT ILLVD, QUAM MILLE THESAURI MAGNI, ET PRÆTIOSI.* Hinc Fama, honorque dicuntur su-

OPUSCULUM

TERTIUM.

De Apostatis, ac Fugitiuis.

*Ad solutionem difficultatum circa Regulares illos, quos
Apostata, ac Fugitiui appellantur, Definitio
Apostasia necessario Stabilienda.*

I. PONO. **V**T exacta, veraque habeatur notitia, quæ ad Apostatas a
Religione, ac Fugitiuos spectant, occludanturque faci-
lius a Viris sapientibus, prudentibusque aures nonnullorum vocibus, qui
parum in Theologiæ Principijs, Sacrisque Canonibus periti non raro istas
voces cum graui aliorum Famæ præiudicio vsurpant, Stabiliendam esse
Apostasia Definitionem; ex hac enim omnes omninò in hac materia
occurrentes difficultates soluendæ sunt. Est quidem cum *Aristotile* 4.
Phys. s. 31. receptum Axioma, *Quod per definitionem omnis quæstio dissolui
debet;* vnde illud celebre *Auerrois* effatum, *Sermo definitorius omnem tol-
lit difficultatē;* illudque *Cicer.* Viri in Philosophicis, ne dum in Rhetoricis
præstantissimi *lib. 1. Offic.* *Omnis, quæ a ratione suscipitur de aliqua re restitu-
tio, debet a definitione proficisci;* Quo nomine etiam Definitionem. Inter
sciendi instrumenta nobiliorem locum obtinere censerî possent. Philoso-
phis suffragantur Theologi; inter quos præstantissimus *Franciscus Victo-
ria* e celeberrimo semper Prædicatorum Ordine de *Matrimonio Relect.*
7. differens, primum ad omnia penè, quæ in ea relectione satis proluxa a ca.
253. ad 290. ex impressione apud me *Lugduni* anno 1586. (cui tamen tertia
deest pars) disputaturus erat, necessarium fundamentum *nu. 2.* se iecisse
scribit, *allata ante Matrimonij definitione.* Sic e recentioribus nobilis Theo-
logus ex illustri Clericorum Regularium S. Pauli vulgo Barnabitarum
Ordine *Philippus Marchinus de Sac. Ord. p. 1. c. 4. n. 5.* Definitionem, ait,
esse præmittendam, *cum Definitio sit Primum Principium indemonstrabile
in qualibet scientia, ex quo omnes conclusiones dependet, illoque variante, vel
fluctuante, omnia quæ in illa scientia tractantur, varietati, & titubationi sub-
dantur.* Communes igitur definitiones recipiendæ sunt; non solum, quia
nullus inter Sapientes differendi locus daretur; verum etiam quia nullæ
difficultates circa res quaslibet occurrentes solui solidè, ac sapienter pos-
sent. Nec mutationes definitionum communiter receptarum admittendæ.